

PROGRESSIONES
ARITHMETICAE.

CAP. XXIV.

Progressio Arithmetica est series pluriū numerorum se æqualiter superantium, vt hic. Progressio Arithmetica quid.

*Progressio naturalis numerorum
incipiens ab 1.*

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. &c.

*Progressio numerorum imparium
incipiens ab 1.*

1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 15. 17. 19. 21. 23. 25. 27. &c.

*Progressio numerorum parium
incipiens à 2.*

2. 4. 6. 8. 10. 12. 14. 16. 18. 20. 22. 24. 26. 28. &c.

Prima enim harum trium progressionum dicitur progressio naturalis numerorum, incipitque ab 1. in qua omnes numeri se ordine superant vnitatem. Secunda vero dicitur progressio numerorum imparium, incipitque ab 1. in qua omnes numeri se ordine superant binario. Tertia denique appellatur progressio numerorum parium, incipitque à 2. qui est primus numerus par, quemadmodum & 1. est primus numerus impar, atque adeo primus omnium numerorum, licet improprie. In hac autem progressionem numerorum parium omnes numeri se ordine superant etiam binario, quemadmodum & in progressionem numerorum imparium. Eodem modo hic.

Progressio naturalis numerorum, & numerorum imparium pariumque quid.

R 5

Alia